Apotheoſis

ILLVSTRIS AC VERE MA-
GNANIMI HEROIS, DOMI-
ni Maximiliani ab Ægmonda, Comi
tis Burani, &c. Equitis ſummi Or-
dinis Velleris aurei. Ad Illu-
ſtrē D. Ioannem à Ligne,
Comitem Arenber
genſem, Barban
ſonij Do-
minum, &c. Eius item ordinis
Equitem.

Autore Nicolao Nicolai Grudio, Sacræ Cæſareæ Maie-
ſtatis Conſiliario, Brabantiæ Quæſtore, ac
eiuſdem Ordinis Scriba.

ACCESSIT
Epitaphium eiuſdem comitis Burani, Autore
Gaſparo Schætto. Cum duobus
aliorum epigrammatis.

CVM PRIVILEGIO CÆS. MA.

LOVANII
Apud Seruatium Saſſenum. Anno
M. D. XLIX.

Permiſit & conceſſit Sacratiſſimus Romanorũ Imperator CAROLVS quintus &c. permittitque & concedit per præſentes, Domino Nicolao Nicolai Grudio, Maieſtatis ſuæ quæſtori, & Ordinis Equitum velleris aurei Graphiario, vt conſcriptam à ſe Apotheoſim Illuſtris Comitis Burani nuper defuncti, cui volet Typographo excudendam committat: Cautumq; eſt, ne cui, præter eum, quem ille delegerit, proximo biennio imprimere eam in Belgica liceat. Qui ſecus fecerit, operis impreſſi publicatione, mulctáque inſuper arbitrio Iudicis irroganda plectetur. Actũ in Conſilio ſecreto ſuæ Maieſtatis, die decimaquarta menſis Februarij, Anno ſeſquimilleſimo quadrageſimo octauo.

De langhe.

IN APOTHEOSIN
Illuſtris Herois Burani, à D. Nicolao Nicolai Grudio, &c. conſcriptam, Hadr. Iunij Octaſtichon.

BVRANO in magno, quē tu doctiſsime Grudi
Inter Siderei conuehis aſtra poli,
Ambigo, Pelidén ne magis demirer Homeri,
An quem confecit dira cicuta ſenem.
Ille animo inuictus, vacuus formidinis, acer:
Contemptor gelidæ hic proditur eſſe necis.
Perpulchrè exemplo coniugis vtrunq; ſub vno,
Morte hunc, vita illum, vicerat iſte ſimul.

Cor. Scribonius Graph.

TVAM ΑΡΟΘΕΩΣΙΝ *Nicolae vidimus,*
Illam videlicet tuo
Digniſsimam ingenio, eruditam, ſplendidam,
Rara elegantia, noua
Inuentione, carminis præſtantia
Supra modum admirabilem,
Fœlix profecto, ter, quater fœlix, bonus
Ille bonus Heros, quem tuà,

Tam

Tam viuido oſtendit Thalia carmine
Receptum in æthereas domos,
Nam ni tibi vati DEIS *gratiſſimo*
Licuiſſet in ſublimibus
Cœli videre ſedibus plaudentium
Læta inter Heroum agmina
Virum illum, & hiſce verſibus pulcherrimis
Viſa hæc reuelaſſes tua,
Quis ΑΠΟΘΕΩΣΙΝ *hanc nouã? quis gloriam?*
Tanti reſciſcet PRINCIPIS?
Manſiſſet orbe hoc infimo ſolum illius
Vel nomen, At iam altè volans
Supra æthera eius Famã, clangenti tuba
Vtrumque longè implet polum.

NICOLAVS NICOLAI GRVDIVS GASPARO CHAETTO SVO. S.

Conſcriptũ à te Illuſtri Comiti Burano epitaphium, feſtiuum mehercle atque elegans, quum mihi nuper legendum dediſſes, amiciſſime Schętte, vehementer me rogaſti, vt ipſe quoq; tanti Viri manes epigrammate aliquo proſequerer. Quod ipſum etiam vt facerem, Illuſtris Barbanſonius Arenbergij Comes, te(credo)impulſore, certè præſente atque aſtipulante, eſt adhortatus. Ac licet pro meo erga defunctũ principem ſtudio, proq; ea quæ cum illo mihi, nõ olim modò in ſcholis, ſed deinde per omnẽ vitam amicitia fuit, magnopere id cuperem, meæ tamen mihi conſcius imbecillitatis, multis & verbis & rationibus deprecatus ſum eam operam. ſed nulla valuit apud vos excuſatio: ſumq; ad extremum adactus, vt aliquid me ſcripturum eſſe pollicerer. Deinde verò cogitanti mihi, qua maximè via ſatiſfacere ſponſioni,fidemq; datam liberare poſſem, nihil ſanè inutilius viſum eſt, atque ineptius, quàm vt epitaphiũ vllum ipſe,poſt tuum illud ſcriberẽ: quo multa cum gratia, multa ac magnifica fuiſſes complexus: quæ certè eadem, alijs aut verbis aut verſibus à me repeti, nihil attineret. Videbam etiam, tantam eſſe materiæ vbertatem, ſiue quis ſolam eius Principis vitã, ſiue mortẽ ſolam deſcribere plenius vellet. vt vno aut altero vel epigrammate, vel epitaphio (in quo ſcripti genere breuitas quædam arguta potiſſimùm commendatur) nõ modò non omnia, ſed ne ſatis quidem multa compræhendi poſſe viderentur. Senſiq; tum demum, quantam mihi ſarcinam imponi in humeros, aſſenſiſſem. Et tamen præſtandum erat quod promiſeram: nempè vt aliquid meum & ipſe proferrem. Itaque nunc, quod me facturũ receperam, id facio. Exhibeo enim, nihil quidem magnum,(quod vt pollicitus non ſum, ita neque poſſem) ſed tamen omnino aliquid: quod ipſum equidem tale eſſe

ſum

ſum exiſtimaturus, quale tu eſſe præiudicaueris, quem ego arbitrũ huius rei libenter facio, ſed ea interim lege, vt carmina (quod ait Ouidius) vacuæ mentis opus eſſe memineris: hoc autem totum, qualecunq; eſt, inter continuas occupationes meas eſſe natũ. Apothcoſis eſt, argumento planè poëtico: vbi & ſomnia mea refero, & deos variè, hoc eſt, pro ſua quęq; natura, loquentes introduco: quorũ orationibus vitæ eius Principis ſummam, rerumq; ab eo geſtarum cõpendiariã hiſtoriã: tũ & morbi, & mortis ipſius genus, & mirã in illa animi conſtantiam, incredibilemq; ſecuritatem, perſtrinximus verius, quàm expreſſimus. Id enim arbitrabamur eſſe cõmodius, quàm vt perpetua quadam ac frigida narratione, nulla neq; varietate, neq; delectatione adhibita, rem tam ingentẽ atq; admirandã, penéq; incredibilem, ieiunè atq; inamœniter perſequeremur. Quod quidem argumentũ quũ mihi ipſe præſcripſiſſem, atq; exſequẽdum imperaſſem, eſſemq; in eo iam aliquô tenus progreſſus, aliam illico incõmoditatẽ offendi. Videlicet, me, ſi loquentium perſonarũ decorũ ipſum atq; naturam ſequi vellem, (cuius rei nullam vnquam ſatis exactã haberi rationẽ poſſe, nemo ignorat) nõ poſſe in toto hoc poemate (id q^d alioqui valde optauiſſem) ea referre atq; interſerere, quæ plurima ab illo iam morituro, ſanctiſſimè tũ dicta, tũ facta circũferuntur: quæ tamẽ quum ex aliis, tum ex teipſo maximè cognoui fuiſſe eiuſmodi, adeóque eximia, vt ſciri ea publicè expediat, & nõ quidem poetã (vt hodie ſumus) ſed theologum quempiam hominẽ, dicendi egregiè peritum inuenire mereãtur, qui ſeriò illa, minutatimq; pertractet. Nihil enim quidquam ab illo, neq; in ſuſcipiendis religioſè ſummaq; cum veneratione ſanctiſſimis Eccleſiæ Sacramentis, neque in precando, neque in præclara fidei ſuæ, piæq; voluntatis teſtificatione, prętermiſſum fuit, quod virum bonum ac pium deceret. Cuius rei teſtes erunt locupletiſſimi, Reuerendiſſimus Atrebatum Præſul, meliorq; Aulæ Cæſareæ Procerũ numerus, quos ille ingruẽte mortis tempore, quod ab inſigni Medico Veſalio exactè prænunciatum fuerat, mentis etiam dum ac membrorũ (quod in primis admirandum eſt) egregiè compos, ad ſe nocte

intempeſta,

intẽpeſta, tanquam ad exequias ſuas conuocari iuſſerat: vt admirari non immeritò poſſimus, in militari duce, atque aliôqui libero, ineſſe potuiſſe tantum abſtruſæ pietatis: ſimulq; ominari non iniuria liceat, beatam nunc illum cum Deo Optimo Maximo vitam degere. quò ſanè magis confidere libet, ignotum iri mihi, quòd illum in cœlum carmine ſubuexerim.

Vale.

Apotheoſis

COMITIS BVRANI.

QVàm tua ruperũt diri præcordia queſtus!
    Barbãſonniacæ maxima fama domus,
Quos gemitus! quæ ducebas ſuſpiria ab ægro
    Pectore! quot lachrymis immaduêre genæ!
Quum te deſeruit properato funere raptus
    Stemmatis Aegmondi MAXMYLIANVS honos!
Ille, tibi rerum conſors, & tempore vtroq;
    Cognitus! ille, animi portus & aura tui!
Nam neq; tã fidũ eſt Pyladen expertus Oreſtes,
    Nec ſibi tam charum Theſea Pyrithous.
Ille tibi fido deuinctus pectore Pollux,
    Illi tu fido pectore Caſtor eras.
Ille tibi Aeneas: illi tu certus Achates,
    Quâq; patet tellus, quà patet vnda maris.
Tum quoq; ſi liceat, ſocio comes iſſe paratus,
    Seu petat Elyſium, ſeu Stygis iret aquas.
Da veniam tamẽ, atq; aures aduerte volentes,
    Si moneam pronas ſiſtere te lachrymas:
Teq́; rogem, manes parcas vt ledere amicos,
    Tantiſper viuum dum tibi reddo Ducem.

Vera

Vera loquar, (nec vana decẽt mendacia vatẽ)
Da modò narranti tu mihi vera, fidem.
Nox inamœna, tuas anteit quæ dena calendas,
Belli Iane bifrons arbiter atq; togæ,
Velabat triſtes denſa caligine terras:
Vinxerat & lentus corpora laſſa ſopor.
Paucaq́ue nigranti fulgebant ſydera cœlo:
Tranabat mutilo lumine Luna polum.
Quũ mihi continuus lãguor Ducis anxia curis
Pectora diſtendit, ſollicitumq; tenet.
Triſtia voluentem, lugendaq; cuncta putantẽ
Oppreſsit tandem ſomnus & alta quies,
Rure meo: molli quâ limpha dicata SOPORI
Murmurat, & ſomnos fonte cadẽte iuuat:
Viſus eram rapidis ſublatus in aëra pennis
Currere, Dædaleæ ſcilicet artis opus,
Lætus, & ardẽtes audax penetrare tot orbes,
Queîs rerũ atq; hoĩm vitaq; morsq; venit.
Donec, ad hymbriferi deuectus cornua Tauri,
Semper vbi niueo ſemita lacte fluit,
Semita quæ ſummi ducit ſub tecta Tonantis,
Diuinam veritus longius ire viam,
Subſiſto: & medius cornu inter vtrũq; reſido:
Brachia dum reparo feſſa labore nouo.
Enſiferi nec me Perſei vicinia, nec me

Gor-

Gorgoneũ innumero territat angue caput,
Oriónue fera quaſſans venabula dextra,
Inq; meum minitans ſcandere velle locum.
Ecce, oculos centum, linguas circundata centũ,
Fertur in alato Diua volucris equo.
Velòcis procul obſtupui miracula monſtri:
Et mihi cũ pennis lingua retenta metu eſt.
Illa, tacens nuſquam, centum clamore canoro
Soluit centenos ſacra per ora ſonos.
Fama loquax ego ſũ: ſed tu ne horreſce loquẽtẽ:
Sum verax: ſolis & metuenda malis.
Altera, ſed diſpar nobis, eſt nuncia ficti:
Stellatas nunquam permeat illa plagas.
Hâc modò deſerta cœlum tellure ſubibit,
Et claro volucer æthere carpet iter.
Belgica ſæpe ducẽ poſthac quẽ terra requiret:
Excitum ſuperos præuia curro deos.
Quæ ſimul ac properè Dea præterlapſa loquuta (eſt
Præpetibus pennis ſedula pergit iter.
Illa quidem rapido nil ſegnior effugit Euro.
Sed varios tractus irrequieta tenet.
Qualis ab armigero magni Iouis, acta patentes
Per cœli campos, Chaonis errat auis.
Qualis & apricis quondam deprenſus in aruis,
Obliquat valles & iuga ſumma lepus.

Proſe

Proſequor hãc oculis fugiẽtẽ, et multa monẽtẽ,
Iactantemque viri nomina ſyderibus.
Vltima reſponſat conuexa per ætheris Echo,
Et, venit, ĩgeminat garrula Nympha, venit.
Deſieram vidiſſe deam per inane volantem:
Quam ſuby pronam deſpicioque viam:
Et quâ mixta mari tellus iacet, et mare terræ,
Nitentem video lucida ad aſtra globum.
Cœlicolas centum pueros, centumque puellas:
Ornabat celeres aurea pluma pedes:
Intonſos omnes, niueis in veſtibus omnes:
Fundentes liquido gutture dulce melos.
Extabant gemini medio ſed in agmine pubis,
Auguſta, qualis forma decet ſuperos:
Alter, Athlantiades cœli vetus incola auiti,
Hanc ſuetus toties ire, redire, viam:
Alter eras, diuum nunc acceſſurus honori,
Nobile militiæ magne BVRANE *decus.*
Agnoui illuſtres vultus, oculoſque micantes
Clarius, & iã tunc tu mihi numen eras.
Exploras faciles orbes, atque ignea regna:
Singula qui doceat penniger Arcas adeſt.
At parte ex alia, concurrunt æthere toto
Obuia in occurſus cœlica turba tuos.
Ante alios, pulchræ Veneris pulcherrimus ĩfás,

Pacata

Pacata tendens aurea tela manu.
Quæq; vigent ſtabili duo numina læta iuuēta,
Arcitenens Pæan, bis genituſq; puer:
Hic de pampineis redimitus tempora ſertis,
Illi Daphnæa fronde corona fuit.
Mars galeā ardentē criſtatus & ære coruſcā,
Et quæ de belli nomine nomen habet.
Arma Cypris ſequitur, nudas exerta papillas:
Nā vir Trinacrio in littore claudus abeſt.
Regia progreditur Iuno: et ſoror ĭnuba Phœbi:
Et propè Nympharū nō numerāda cohors.
In medio ipſe deûm incedit pater, aurea circū
Tempora ſtellanti cinctus honore caput.
Falcifer extremæ ſenior veſtigia turbæ
Ponè legit, ſordēs cui toga, cana coma eſt.
prima quidem læto ſubridens aurea vultu,
Circumplexa Ducem, ſic Cytheræis ait:
Illa ego ſum, vndè tibi placidorū gratia morū,
Illa ego, cæruleo diua creata mari:
Vndè tibi roſeæ formæ decor integer: vndè
Illecebræ, & pulchri delitioſus amor.
Te comitem, Cæſar ſanguis meus & mea cura,
Sat tenuit, reliquo tempore noſter eris.
O, quoties timui nimium conſtantibus auſis:
Sum quoties noſtrum blanda precata Iouē,

Ne te

Ne te bellantem violentus læderet enſis,
Miſſa vel irata tortilis haſta manu.
Eminus aut ſerere exploſo fera vulnera bõbo
Nata per aërias glandula cæca vias.
Nunc interuallo duplici rediuiua Synanche
Bis ſed Apollinea rufa repreſſa manu,
Quod fruſtra tentârat, id effecêre noueni
Abſceſſus, duræ & crimina mortis habẽt:
Ordine qui longo in tua funera conſpirantes,
Pectoris vnanimes in ſtatione manent,
Aſpera mox donec perroſa arteria pure,
Tranſmiſit rimis dira venena ſuis.
Tabifluusq; liquor, prorumpens impete facto,
Clauſit vocales, impediitq; vias.
Nec mihi tot lachrymas excuſſit pulcher Adonis,
Quum rupit niueum ſpumeus inguẽ aper.
Sed quot mœſta tuo fletus in funere fudi,
Nunc fundo violas tot tibi, totq; roſas.
Ipſa ſimul, Chariteſque ſimul, ſimul alma Voluptas.
Effundunt calathis cum violisque roſas,
Calthaſq; & caſias, et purpureos Hyacinthos,
Thymbrã, & Corycii gramina flaua croci.
Proximus inde duci Armipotens ſic fatus amico eſt.

Inni-

Innitens haſtæ pectora fraxineæ.
Expectate diu, noſtro optatiſsime cœlo,
Viſa tibi ſeptem ſint modò luſtra licet:
(Facta ſenẽ faciunt, non ſera & inutilis ætas)
Impiger Aeneadæ Cæſaris vſque comes,
Quà patet in latum tellus, & quâ patet æquor:
Hey, ſæpe infidis credere ſuetus aquis,
Linthea ſeu leni zephyris pellentibus aura,
Scinderet æquatas uncta phaſelus aquas:
Seu ferus Hippotades, dirũ rabiẽtibus Auſtris,
Verteret horriſoni marmora cruda maris.
Arentis Lybiæ laſſatus nuper arenis,
Quæque iuuat nullus torrida rura labor,
Nitrigenas inter tonitrus, & flammea tela,
Hipponni portus oſtia primus inis.
Hîc procumbentes Tyriæ Carthaginis arces
Calcaſti, & Thracũ corpora ſtrata virûm:
Punica remiuagis Solymanus ad arua carinis
Quos Mithylenæo iuſſerat ire duce.
Quâ tua per madidos inimico ſanguine campos
CAROLE ſecuras arma dedêre vias.
Sed quæ non nouit tellus tua maxima facta?
Et toties forti prælia geſta manu?
Nouit Maſsilio brachatus littore Narbo,
Quando Druentiacos es populatus agros.

Parte

Parte alia, Morinus tremit, et tua noĩa Leucus,
Expertus dextræ fulmen vterque tuæ.
Quodq́; etiã de te, poſt & tua ſecula narrent,
Et durus Grinnis atque Sicamber habent:
Auſus vterque mei contẽnere Cæſaris arma.
Cæſaris at neuter nouerat arma mei.
Dudũ adeò, Saxo, et toties quũ perfidus Heſſus
Iuraſſent ſacri principis exitium,
Iamque inteſtino fureret Germania motu,
Militéque armaret mœnia quiſque truci:
Exarſit iuſtas clementia mitis in iras,
Vltura audenti crimina tanta manu.
Te iubet armatos Belgis ſibi ducere terris,
Longinqui procul ad flumina Danubij:
(Danubij tunc ad ripas nam fortè ſedebat)
Exſequeris Domini, nec mora, iuſſa tui.
Confeſtim innumero texiſti milite campos,
In tua verba pedes iurat, & omnis eques.
Ac licet, ad magni conſidens flumina Rheni,
Clauſum, cuncta timẽs hoſtis, haberet iter,
Haud tamen obſtitĕrunt vndæ, aut inimica moratur
Littore conſiſtens vlteriore phalanx.
Quin peditẽq́; equitẽq́; palã traducis inulctus,
Innocuoſque breui tempore ſiſtis hero.

Ille

Ille, data fidens ope, & auxiliaribus armis,
Aſſeruit, domitis hoſtibus, imperium.
Immanes quorum noxas, iniuſtáque facta,
Exitus exémplo conueniente docet:
Serua ſub offenſi cum vincla coactus vterque
CÆSARIS, *ille manu victus, at iſte metu*
Proijcit infauſtos enſes, damnatáque pila,
Victoriſque animam deſtinat arbitrio.
Ipſe tamen CÆSAR, *nõ tantùm fulmine iuſto,*
Aemulus æterno, ſed pietate, Ioui,
Fulminat, vt ſternat: ſternitq;, vt parcere poſſit:
Parcit, vt incolumes poſtmodo lenis amet.
Ergò, tot exhauſti terraq; marique labores,
Fecerunt ſanctas te ſuperare domos.
Hîc tibi magnanimos inter tua præmia ſunto
Aeternùm, quæ non auferat vlla dies:
Clara Iouis ſeu te capiet, ſeu Cypridis aula,
Seu mecum, potius quod reor, eſſe iuuat.
Altus in auratis vbi Troïus ambulat armis
Hector, & Alcmena de genitrice ſatus.
Natus & æquoreæ Thetidis Pellæus Achilles.
Cuius ſunt Phrygio cognita tela ſolo.
Nec minor Aeneas illis: qui vindice dextra
Nobilius meruit quàm pietate decus.
Quiq; ſibi imperium primus felicibus auſis

 Diuitis

Diuitis inuaſit Iulius Auſoniæ:
Illud & acceptum validis qui Octauius armis
Auxit, & Auguſti nomina prima tulit.
Diſcrimẽ nullũ, hîc ducibus Graijs ve, Latinis ve,
Et procul inuidia, eſt omnibus æquus honor.
Quin & barbaricis viuit ſua fama ſuperſtes,
Quiſque ſibi audaci quam peperêre manu.
Hîc iuuenis, Macedũ ductor, generoſa Philippi
Proles, cui mundus non ſatis vnus erat.
Carolus eſt illic, ſoboles Pipinia, Cæſar:
Quodq́; habuit Magni nomen, vterq́; tenet.
Auſtriadũq́; decus, ter MAXIMVS ÆMILIANVS,
Qui tibi naſcenti nominis autor erat.
Fatales Decios, Catulum, Fabiumque videbis,
Et Coſſum, & Curios, Fabriciumque ſenem.
Pompeios geminos cernes, geminóſque Catones,
Et Capitolinum, Scipiadáſque duos.
Indutum & raptis Marcellũ ex hoſte trophæis,
Infractúmque ſuo funere Poſthumium.
Aemylios, Marios, aſſertorémque Camillum,
Attilium, Scæuam, Flaminiumque genus.
Inuictumq́; aliâs, quem tandẽ Aegyptia coniux
Vicit, ciuilis noxia flamma mali.
Quiq́; ſuæ ridet flagratæ incommoda dextræ,
Et qui ſe impulſo præcipitauit equo,

Et qui

Et qui ſuſtinuit cuneos animoſus Hetruſcos,
Dum ſocij pontem poſt ſua terga ſecant.
Memphitemque virum, ſacræ qui verbere virgæ
Fretus, Erythræum per mare fecit iter.
Hinc quóque cui ceſſit gentis moderamen apellæ
Cernes inuicto pectore Nuniadem:
Quo pugnante ſtupens, obitus metitus & ortus
Comparibus ſpacijs, Sol retinebat equos.
Theſſalus eſt illic, nullo violatus ab ictu
Perrhœbus Cæneus: eſt Codrus: eſtque Conon.
Annibal eſt illic Pœnus, cui regna petenti
Itala, ceſſerunt inuia ſaxa viam.
Eſt Ithacus, ſermone minor q; ſanguine Rheſi,
Exultans ſpolijs cum Diomede ſuo.
Eſt Epyrotes, nudis pugnare lacertis
Suetus, cuius adhuc nomina Turca fugit.
Et cui Teutonico titulus non diſſonat Albi,
Cæſus Barbarica ductor Hiberus humo.
Cernes Borbonium, Heſperio qui concidit aruo,
Septenis tumulis quâ mea Roma ſedet.
Fronsbergum celebrem bello, Læuamque videbis,
Audaces Daualos, Naſſauioſq; duces.
Quique tibi virtute ſua præluxit, & armis,
Conſpicies inter millia multa patrem.
Hîc ſuſpiratus toties Auraſius orbi,

Iamque ſoror noſtro ſuffragatura labori,
Iret in aëria Cynthia celſa via:
Depoſui, fateor, cytharamq́;, arcumq́; ſonantē,
Et charas frondes, aureolamque comam:
Hocq́; duce,(& Maia genitū ſummóq; Tonante
Signabat)terras, & tua tecta peto.
Ille ego,qui cæcis reparo noua lumina terris,
Lux idem,lucis autor, & vnus honos,
Per picea in toto fluitantia nubila cœlo,
Suſtinui dubiæ currere noctis iter:
Crineq́; pro volucri,& tenuē ſinuante per aurā,
Horreſcunt breuibus tempora tonſa pilis:
Oréque pro roſeo , & teneræ lanuginis auro,
Barba tenebroſas occupat atra genas.
Omnia VESALIO *ſimilis, ſum creditus eſſe*
*V*ESALIVS*: nec fraus eſt pia facta palàm.*
Sæpe vacillantis tetigi pulſamina venæ,
Pharmaca ſecreta è pixide ſæpe dedi:
Cuncta dedi fruſtra:tetigi pulſamina fruſtra:
Quod nocuit,fatum,non tibi morbus erat.
Protinus vt ſenſi,(quid enim contendere proſit,
Si néque fas noſtro eſt fallere fata Ioui?)
Deberis cœlo:teritur nunc vltima meta:
Exitus hic omnes,diximus,vnus habet.
Implacabilium genitarum Nocte ſororum

Sors

Sors rata ſtat, nullis impedienda modis.
Fata trahunt refugos, deducunt fata volentes:
Deberis cœlo: ſponte ſequare deos.
Membra recondet humus: viuacis gloria famæ
Permanet: & nullis obruitur tumulis.
Hæc ego: tu moniti lætatus ab omine noſtri,
Præcipis aſtrigeras iam tibi mente domos.
Hæc ſeries cœli eſt, & non variabilis ordo,
Reſpondes, nec me fallere fata iuuet:
Fallere nec poſſum: fati vim vincere poſſum:
Vincit enim, quiſquis ferre ferenda poteſt.
Terra vale dixti, nos aurea templa deorum
Scandimus, æterni funere: terra vale.
Ac licet ipſe, tui ſcitanti tempora fati,
Iam tua poſt horas fila ſecanda duas
Vaticiner, tamen haud ſpacio diſtenderis arcti
Temporis, aut tentat Martia corda pauor.
Sed capis aurati ſpumantia dona Lyæi,
Aſtruis & poto fortia dicta mero,
Quid tantũ exhibuit (parcat precor alma vetuſtas)
Prudentis titulum cui tamen ipſe dedi?
Ille bibat Critiæ, populo ſpectante, cicutam,
Vt necis autorem denotet eſſe ſuæ.
Tu pateram charis iam deſerturus amicis
Prælibas, ſimili quo prius ore, tuis.

Quæ

Quæ ſit in humanis monſtras fiducia rebus,
Téque ſecuturis ſternere velle viam.
Sidereas virtute peti mortalibus arces:
Quemlibet officij ſedulus vſque monens.
Excitet vtq; tuos, oras, tua fama propinquos,
Quò ſatagant clarum continuare decus.
Mẽtis adhuc, greſſuſq́; potẽs, quos nomine quẽq́;
Excieras, præco funeris ipſe tui.
Quinetiam arcanis mandata extrema tabellis
Scribis, & intremula dona ſuprema manu:
Seu quis militiæ, & ſocijs tibi cognitus armis,
Promeruit fidei præmia, ſiue domi.
Nec centũ piguit lachrymantũ prẽdere dextras:
Solus, a quis qui non ora rigaret, eras.
Ipſe quóque, et memini, quãuis fortiſſimus vnus
Barbanſonniacus non tenuit lachrymas,
Dilectum ſocium caſus comitatus in omnes,
Quâ via cunque ſolo, quâ via cunque ſalo:
Dilecti & ſocij iam ſucceſſurus honori,
Seu turmis equitum, ſeu Friſiæ imperio:
Ni mea me fallit prudens cortina futuri:
Sed, qui fata regis, Cæſar & ipſe velis.
Nec te molliculo voluiſti ſternere lecto,
Sed gradiens, optas, ſtans ve, ſedens ve mori.
Aſſenſere Dei votis nec fata repugnant:

Quod ducis eſt, tanto non renuére duci.
Rore ſoporifero tandem Cyllenius ales
Spargit honoratum terq; quaterq; caput.
Ipſe tuo cineri ter proſpera verba precaris:
Quæq; vocas verbis Numina mente petis.
Ergo, ſedens, ſolio profers ſublimis ab alto
Supremum, lingua deficiente, vale.
Ergo, velut dulci declinas tempora ſomno:
Lumináque vt dulci victa ſopore, cadunt.
Nō fuit hoc lethū oppetere, aut deponere vitā.
Sed lethum ac vitam diſſimulare fuit.
Ipſe etiam dubio titubans pede thyrſiger Euan
Riſit, & incerto ſic ait ore Deus:
Multa tuo debes, Heros rariſſime, Phœbo:
Multa tuo Marti: plurima dona mihi.
Nos, toties tibi mordaces à pectore curas
Soluimus & lætos iuſſimus ire dies.
Nos tibi feſtiuos hilari de ſplene cachinnos
Et dedimus lepidos fundere ſæpe iocos.
Perq; mea hoſpitibus liberrima munera mēſis
Ceſſerunt faciles in tua iuſſa duces.
Téque per obiectos equites pediteſq; ruentem
Muniui, vt nullo corriperêre metu.
Pluráque dixiſſet, proprijs Puer vuidus vuis:
Conantem vetuit dicere plura Pater.

Atque

Atque ducẽ Ambroſio perfuſum mẽbra liquore
Excipit, & pro re pauca locutus, ait:
Euge hoſpes, iam non hoſpes: te viuida virtus
Adiungit noſtro, & dextera fida, choro.
Scilicet hoc tacita monuêre inſomnia nocte
Viſa ſoporanti quæ tibi ſumma fuit.
Hoc fuerat radijs per ſcintillantia lætis
Lumina, flammantes inter & iſſe globos:
Tergeminūq; procul ſpectaſſe Hyperyonis a-
Et me ter clara voce vocaſſe, Veni. (ſtrū:
Felix ipſe quidem, felix, tot fortibus actis:
Felix audaci ſed mage morte tua.
Magnū opus eſt, Rheni hoſtilis ſuperaſſe fluēta,
Maius opus, fatum te ſuperaſſe tuum.
Accipio cœli indigitem: tibi Martia poſthac
Belgica debebit, & rea vota feret.
Tu modo Cæſareos, donec tellure moratur,
Conatus mecum factaq; ſancta foue.
Dū nouus Alcides terras atq; æquora mōſtris
Liberat, expugnans armipotente manu.
Inſtauratque aras, & puluinaria ſacra,
Reſtituit leges, & ſua iura foro.
Et pacem reuocans cum libertate ſuorum,
Depreſſos miſera ſeditione leuat.
Tempus erit, venientẽ illū quū cernet Idume,

Figen-

Figentemque ſuo bellica ſigna ſolo.
Indomituſque iterum victorem horrebit Eous
Rector, & aufugiens terga premẽda dabit.
Inde vbi communi ſucceſſerit aduena cœlo,
Pertæſus vitæ ſtamina lenta ſuæ
CAROLVS, *et mecũ ſuperas partitus habenas,*
Geſtabit ſancta cœlica ſceptra manu,
FILIVS *infernum latè moderabitur orbem,*
Qui referat patris munia, nomen aui:
Qui nunc Hiſpanis deuectus viſit ab oris
Debita virtuti Belgica regna ſuæ.
Sic ait : & Styga teſtatus, fraternáque regna
De læua, firmans omina, parte tonat.
Excutior ſomno pauitans, geliduſque cucurrit
Fragroſum ad ſonitũ dura per oſſa tremor.
Cognoui, ſimul Herois feralia fata,
Regna ſimul ſuperi participata poli:
Lætaq;, quod potui, ſpectacula voce ſequutus,
Sis felix, dixi, MAXMYLIANE *tuis:*
Qui modò ſecurus, non ignorantia noſtri
Sub pedibus, fati, ſydera fulua vides:
Cuius ſemper honos, cuius ſacra fama virebit,
Deterior nullo tempore, at vſque recens:
Et quâ mane redit tenebris aurora fugatis,
Séque ſuis ſerus Heſperus abdit aquis.

APOTHEOSIS FINIS.

EPITAPHIVM EIVSdem Comitis Burani, per GASPARVM SCHÆTTVM.

AVdaci toties dextra qui terruit hoſtes,
Per gladios, haſtas, per vaga tela ruẽs,
Quo duce victrices aquilas Germania ſupplex
Senſit, & irati Cæſaris arma ſui,
Hæc immaturo Buranum funere terris
Ereptum Heroem nobilis vrna tenet.
Cuius quæ tribuit celebri ſua præmia vitæ
Fama, eadem raræ nuncia mortis erit.
Ille, velut tuto ſi quis de littore ſoluat,
Certus præpetibus tradere vela Notis:
Voce, Vale, intrepida dixit moriturus amicis:
Imperturbatam depoſuitq; animam.
Vt meritò dubites, fuerit mors ſtrenua tanti
Siue dolenda magis ſiue ſtupenda viri.
Eſto alijs alius fugientis terminus æui,
Talis magnanimi debuit eſſe ducis.

FINIS.

302800

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

WELLCOME
LIBRARY
INSTITUTE

61665/P